



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

V. De Sepultura Mortuorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

rit, nescio. Interim hæc disputativè
sint dicta, obsecrando Episcopos Reve-
rendiss. Dominos ac PP. meos cum o-
mni humilitate, ut majori in quãtitate
Oleũ sacrum distribuant, maximè in-
firmorum, ne incautã mixtione mate-
ria possit reddi dubia. Quod iterum
alibi obsecravi, & hic repeto, quia
non parum anxietatis mihi hæc inge-
rit mixtio.

CAPUT V.

De sepultura mortuorum,

1. **Q**UÆRO. *An omni die possit sepe-
liri mortuus?* Resp. affirmati-
vè, etiã si dies sit Paschæ, Apud aliquos
visum est in dubiũ revocari, an in die
Parasceves sepeliendus sit mortuus?
Resp. etiam tunc posse sepeliri, sed ta-
men tunc non sunt pullandæ campa-
næ. Quantum autem temporis inter-
esse debeat inter mortem & sepulturã,
ex locorum diversa consuetudine pen-
det resolutio. Nobis ordinantur in
Leodiensi Diœcesi viginti quatuor hore.
Quod intellige, nisi causa subsit, ut
facilè fit in nimio æstu, dum corpora
corru-

corru-

corruptioni sunt obnoxia, aut tempore morborum, &c.

2. *QUAERO.* An Missa de Requiem possit celebrari omni die? Resp. posse, excepto die Parasceves, in quo non potest celebrari ulla Missa. Excipiunt & aliqui diem Sabbati sancti, atque etiam Paschæ. Excipi etiam possent solemnitates aliæ celebriores in Ecclesia, in quibus non est congruum saltem officium publicum & solemne exequiarum celebrare. Immo in nostra Diocesi justè ordinatum est, ut exequiæ & publica mortuorum officia diebus dominicis, aliisve festis non peragantur, sed in diem non impeditâ rejiciantur. Ita Syn, Leod. tit. 10. c. 8. privatim autem celebrare de defuncto diebus dictis licet, & ex causa laudabile esse potest.

Sic lego in vita *Josephi Anchieta, Sacerdotis è Societate*, in Brasilia miraculis clari. Ipso die festo S. *Ioannis Evangelista*, qui tertius est à Natali Christi, celebratam Missam de Requiem certo homini applicavit. Id verò absurdum multis

multis visum est. Quapropter & Superior quasi reprehendens coram aliis quasivit ab eo, cur in tantæ solemnitatis die, ita ab Ecclesiæ ritu exerraret? Respondit illa nocte in Lauretano Collegio Sacerdotem Societatis obisse, suum quondam Conimbricæ cōdiscipulum, seque pro anima illius sacrificium obtulisse. Rogatus est iterū, an aliquid nosset de animæ illius statu: Respondit, Cælum ingressam, cum ad eum sacrificii locum venisset; *Omnia honor & gloria. Hæc ibi.*

3. *QUAERO. An si mulier in partu moriatur, debeant legi orationes, quæ solent recitari ad introducendam puerperam in Ecclesiam, idque super corpore eam mortuo, antequam ad Ecclesiam deferatur pro sepultura? Resp. licet antiquitus ab aliquibus Sacerdotibus hoc videatur practicatum, ut etiam testantur seniores aliquæ matronæ, non video cur fieri debeat; tum quia tales orationes sunt pro viva, & non pro defuncta: tum quia hoc in Rituali non reperitur; tum denique quia sapere videtur*

detur

derur aliquam superstitionem anilem, quâ existimant puerperas ante id haberi quasi Paganas & Ethnicas; per illas autem orationes reddi quasi noviter Christianas. Sic enim loquuntur vernaculè de puerperis, *Ellegist. Payenne.* Edocendæ igitur sunt, hanc introductionem in Ecclesiam non ad aliud fieri, nisi ut redeant post sufficientem naturæ ex partus debilitate restorationem, reddituræ Deo gratias, & se prolemque illi oblaturæ, imploratâ Sacerdotis per preces Ecclesiæ benedictione. Ex quo etiam consequitur, quando periclitantibus post partum domi eis Sacramenta ministrantur, nõ esse necesse has orationes prævie recitare, quasi per illas ab aliqua irregularitate, sive impedimento Sacramentorum liberentur; quod sapit Iudaismum.

4. *QUAERO. Quinam pri ventur sacra sepultura?* Resp. I. Qui non est baptisatus. Unde puer moriens ante Baptismum, non debet sepeliri in loco sacro, nisi fortè mortuus sit in utero,

nec

nec extractus; tunc enim sensetur pars
 Matris; si autem extrahatur, & separe-
 tur fœtus à Matre, in loco profano est
 tumulandus, Si verò est baptisatus, li-
 cet sit Baptismus dubius, sepultura sa-
 cra ei non denegetur, sive sit dubius ex
 parte materiæ, per quam baptisatus
 fuit sive ex eo quod dubitabatur vive-
 re: Iudicandum enim est in favorem
 infantis, quamdiu durat dubitum.

Resp. 2. Excommunicatus nomina-
 tim denunciatus, vel notorius percus-
 sor Clerici. *Dico* nominatim excom-
 municatus, & c. quia hos solos tenemur
 vitare, dum vivunt, sic eiam dum
 mortui sunt, Nam cui communicavi-
 mus vivo, possumus & communicare
 mortuo.

Dices: Ergo passim hæretici poterunt
 sepeliri in loco sacro, si nominatim nõ
 denunciatur excommunicati; Resp.
 negando consequentiam. Nam li-
 cet ex eo capite quod excommunica-
 ti censeantur, sed non vitandi ante
 denuntiationem, possit excusatio esse:
 tamen si manifesti sint & discesserint

in

in hæresi sine signis pœnitentiæ, privandi veniunt sepulturâ, quia in statu notorio peccati mortalis moriuntur, quales omnes non sunt sepeliendi in loco sacro, ut statim dicemus.

Adverte verò in locis quæ occuparunt hæretici, sive in Ecclesiis & Cœmeteriis, in quibus corpora sua sepelierunt, cum prius Catholicorum corporibus sepeliendis illa loca deservirent, non esse necesse exhumari ista corpora; tum quia non possunt ossa eorum distingui ab ossibus Catholicorum; tum quia ut plurimum hæretici isti non fuerunt nominatim excommunicati. Sufficit ergo, dum iterum redeunt in usum Catholicorum, aspersione aquæ solenniter ab Episcopo benedictæ reconciliari. Qui casus mihi propositus fuit novissimè in Oppido *Gelhausen* in Germania, ab *Illustr. D. Caraffa Legato & Nuncio Apostolico*, eò quod per eam urbem dum transiremus? Religiosi Franciscani templum suum recuperarant, auxilio militum Hispanorum, ibidem Præfidiariorum,

roga-

rogabantque auctoritate Illustrissimi
locum iterum reddi sacris usibus; dif-
ficultas verò movebatur, propter cor-
pora Lutheranorum ibi sepulta, an
prius exhumanda forent: Et ob ratio-
nes dictas, respondi quod non esset ne-
cesse: cum nec etiam tunc temporis,
licet discerni potuissent; aliqua sepul-
chra hæreticorum, conveniens fuisset
ea dejici, ne novi tumultus suscitaren-
tur in Civitate planè hæreticorum, &
ocasio eis daretur inclamandi pacta
Cæsarea effringi.

Quod si verò contingat in loco sa-
cro temerariè sepeliri aliquem nomi-
natim excommunicatum, sepelientes
excommunicationem incurrunt, ut
habetur in *Clementina 1 de sepult.* Nec
divina officia ibi celebrari debent, nec
fideles sepeliri, donec extrahatur cor-
pus, & reconcilietur locus. Si vero si-
gna pœnitentiæ edidit excommunica-
tus talis, poterit absolvi post mortem
ab illo ad quem spectabat auctoritas
absolvendi. Vide *Navar. c. 26. & To-
let. lib. 1. c. 16.*

3. Privantur sepulturâ duellantes, si in conflictu decesserint *Item* occidentes se ex desperatione vel ira, si nullum contritionis signum ostenderint, Qui autem seipsum occidit, cum mentis compos non esset, non privatur. Imò cadaver hominis fidelis, si inveniatur in puteo, in loco sacro est humanandum. Conjicitur enim probabiliter, vel casu decidisse, vel violenter ab aliquo dejectum. Ita *Rodriguez* p. 2. c. 56.

4. Privantur blasphemi, nisi signa contritionis dent. Si autem in morbo quis blasphemet, & possit conici quod ex phrenesi, pro ut contingit quandoque fabricitantibus: etiam si moriatur sic, non propterea privatur loco sacro. Prudenter autem judicandum est, ex qua causa, ex qua dispositione blasphemet. Sunt & alia peccata quæ specialiter enumerantur à Summistis, ob quæ denegatur sacra Sepultura, Vide latè *Sylvestrum*, & alios V. *Sepultura* Inter illa enumerant Raptores bonorum alienorum. *Item*

usur-

usurpatores decimarum, si in fine vitæ non restituant, aut non dent cautionem de restituendo.

Postremò, privandi sunt sepulturâ, non solum qui non sunt confessi, aut qui non communicarunt in Paschate, hoc publicè innotuerit; sed & omnes qui moriuntur in peccato mortali notorio, seu minifesto, sine signis pœnitentiæ; ut meretrices, concubinarij, usurarii, & qui in flagranti delicto occiduntur. Sufficit autem unus testis fide dignus, qui attestetur dedisse signa contritionis, ut possint sepeliri.

Non desunt aliqui existimantes quemlibet peccatorem publicum, non excommunicatum, posse sepeliri in loco sacro, licet exterius pœnitentiæ signa non dederit, quia interiùs potuit pœnitere. Quæ sententia, si probabilis sit, multis anxietatibus poterit Parochos liberare. Vide *Dianam. p. 5. r. 3. resol. 99.* citantem *Hurtadum de Mendoza.* Vide ibidem de duellantibus sepeliendis, si aliquanto tempore super-

super-

supervixerint, ita ut brevem confessionem facere potuerint: nam tales possunt dici, *non decessisse in conflictu*, strictissimè interpretando legem penalem. Ita nonnulli probabiliter. Sic si extra locum conflictus exportati fuerint, & ibi mortui, poterunt sepeliri in loco sacro.

5. *QUAERO. An debeant permitti aperiri corpora defunctorum?* Resp. ex iusta causa id posse fieri ex consensu propinquorum, maximè cum grassantur morbi aliqui ignoti, ideoque aperiunt Medici, ut illis provideant.

TRACTATUS VII.

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM
Pastoralium.

DE ORDINANDIS VEL
ordinatis:

CAPUT I.

De impedimentis ordinum:

I. *QUAERO. Quinam incurrant suspensionem ab Ordine?* Resp.
i. Qui absque examine, & Episcopi consensu furtim injecisset se multitudinè
examin-